DE
FEBRIBUS PUERPERARUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Christianus Fridericus Strube
SAXO-BORUSSUS.

Opponentibus:

G. NETTMANN, med. et chir. Dr., med. pract.
J. KANZLER, med. et chir. Dr.
S. WOLFF, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
Typis Fratrum Schlesinger.

VIRO

AMPLISSIMO, HONORIFICENTISSIMO, HUMANISSIMO

Friederico Krause,

A CONSILIIS RERUM PUBLICARUM ADMINISTRANDARUM INTIMIS, JUDICI AC VICARIO MANDATORI RERUM PUBLICARUM GERENDARUM POTESTATE INSTRUCTO IN UNIVERSITATIS LITERARIAE FRIDERICAE GUILELMAE BEROLINENSIS, ORDINUM COMPLURIUM INCLYTORUM EQUITI, ETC.

OPTIMARUM LITERARUM AMANTISSIMO AC PERITISSIMO

FAUTORI SUMMOPERE COLENDO ET VENERANDO

NEC NON

VIRO OPTIMO

Jacobo Martino Grasshoff,

CARISSIMO, DILECTISSIMO ALTERIQUE FRATRI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PRÆFATIUNCULA.

Credo ego, vos, lectores benevoli, mirari, quid sit, quod, cum tot summi viri de febri puerperali scripserint, ego potissimum, de hac re disserere conatus sim, qui neque aetate neque ingenio sim cum illis conferendus. Sed cum in clinicis medicis Nosocomii Caritatis Berolinensis puerperas aegrotas plures videre et curare semestribus novissimis mihi contigerit, haud inepte, si de febri puerperarum scribam, factum esse mihi videtur. Attamen vero, nec novi quidquam de hac re subtilissima a me in medium prolatum putetis, nec ea, quae traditurus sum, pro sola compilatione ex omnibus omnium temporum scriptoribus collata, habeatis velim.

Quare, haud dubito pauca haec, quae de morbis puerperarum febrilibus frequentioribus scripsi, in lucem edere, sperans fore, ut, si lectores multa minus probaverint, aliqua tamen indulgentia sua sint adornaturi.

SUBSIDIA LITTERARIA, QUIBUS USUS SUM.

J. L. Schoenlein Pathologie und Therapie, Würzburg 1832.

Ign. Rud. Bischoff Fieber und Entzündungen. Wien 1830.

Med. Praxis, Handbuch der speziellen Pathologie und Therapie der acuten Krankheiten. Berlin 1838.

Praktische Diagnostik der innern Krankheiten v. Dr. Sobernheim. Berlin 1837.

Handbuch der spec. med. Pathol. u. Therapie von Joh. Nep. Edlen v. Raimann. Stuttgard 1832.

Die Wund- u. Kindbettfieber von Dr. Eisenmann. Erlangen 1837.

L. J. C. Mende Krankheiten der Weiber. Berlin 1811.

P. Krukenberg comm. collect. script.

Carus Gynaekologie Th. II.

S. G. Vogel, pract. Arzneiwissenschaft Th. II.

Joerg, Weiberkrankheiten. Cap. VIII, §. 464—548.

Pet. Frank, Epitom. lib. II. c: de peritonitide.

Hippocratis de morb. mulierum lib. I. Epidemiarum lib. III.

Summa laus debetur Eisenmanni monographiae, quippe quae omnes scriptores enucleate recenset.

DE MORBI NOMINE EJUSQUE HISTORIA.

Morbus, cui nomen „febris puerperalis" tributum videmus, cum pro varia ejus sede, tum pro principalibus, quae prae se fert, signis ab aliis aliud nomen accepit. Longe meherele a vero discedimus, credentes, febrem puerperarum recentioribus demum seculis a medicis observatam esse; etenim jam ab Hippocrate, parente illo artis medicae, octo morbi historias 1) accepimus, quae ullo sine dubio cum febri puerperali, quam nos intelligimus, maxime conveniunt; qua re jure meritoque contendere licet, ex quo tempore foeminae partum ediderint et aeris constitutio epidemica fuerit, febrim quoque puerperalem exstitisse. Usque ad seculum decimum septimum morbum puerperarum a lochiis suppressis originem traheere, mdici putarunt, ignorantes, morbum esse proprium et singularem; qua re mirandum non est, quid sit, quod illum ut singularem non descripserint. Thom. Willis primus 2) morbo, de quo agimus, febris puerperarum imposuit nomen, deinde Morton secutus est, qui symptomatibus in „synopsi febrium" hoc addidit, mammas vel uterum inflammatione tentari. Triginta sex annis post

---

1) Epidemiarum Libr. I et III. Sectio 3.

2) Thom. Willis. Opera omnia Amstelodami 1682. cap. XVI de puerperarum febribus.

Eduardus Strother 1), Anglus, nomine febris puerperalis usus, ad verba in linguam anglicam convertit „the puerperal fever." Sed quod multis aliis morbis accidit, ut eorum nomina mutarentur, huic quoque morbo accidit; quippe quem alii scriptores febrem puerperalem putridam, alii febrem humoralem nervosam, alii lacteam malignam, alii denique febrem putridam malignam appellarent. Quibus diversis nominibus difficilior profecto res facta est. Profecta autem sunt a variis de febri sententiis et febrium speciebus epidemicarum. Sed ne lectores, crebra repetitione offensi mihi indignentur, tribus verbis pronuntiabo contrarias sibi atque repugnantissimas morbi doctrinas, quae ex epidemiis variis emanaverunt.

DE MORBI NATURA DISCREPANTES SENTENTIAE.

Diversissimas sententias et controversias de febri puerperali, eo dirimere et inter se conjungere Schönlein conatus est, quod febrem puerperalem eandem ad peritonitidem, quam dysenteriam ad simplicem tunicae mucosae inflammationem habere rationem statuit, i. e. peritonitidem puerperalem ad peritonitidem solitam in eadem ratione esse, quam dysenteriam ad simplicem membranae intestinorum mucosae inflammationem. „Ex altera enim parte ad neuro-phlogoses febrem puerperalem prope accedere, ab altera autem multarum formarum varietati, ut omnes fere morbi epidemici, subjectam esse." Quae formae non solum genio epidemico, sed etiam rebus endemicis nituntur; qua ex re aliis temporibus aliam habebat indolem. Sed ut, qualis fit morbi natura, quam accuratissime cognosca-

---

1) Ed. Strother. Criticon febrium, or critical essay on fevers. Lond. 1718. Cap. IX the puerperal-fever.

mus, excellentissimorum virorum sententiae considerandae sunt, quas, addita epidemiarum historia, fusius in libello de febre traumatica et puerperali ab Eisenmanno expositas accepimus, eumque potissimum auctorem adhibui.

1. Sententia, quae ab anomalia morbum petit lochiorum.

Hippocrates in libris, quos de epidemiis et de morbis mulierum scripsit, causam febris puerperalis in oppresso atque irregulari lochiorum fluxu posuit et lochia cum mensibus comparavit, affirmavitque febrem puerp. ex inflammatione, suppuratione et ulceratione cum foetido odore conjuncta, et depravatione lochiorum putrida exoriri. Qui Hippocratis sententias secuti sunt, alia symptomata neglexerunt, inprimisque ex suppressione atque irregulari lochiorum fluxu causam proximam febris puerperalis quaerendam esse putarunt, cum sordes permanente graviditate, in qua menses evanuissent, in corpore remanerent, etsi quibusdam notitionibus adjunctis in diversa abeunt. Uteri stenosin orificii metritidemque causam proximam lochiorum anomaliae et suppressionis esse Hippocrates putavit; refrigerium tunicae mucosae uteri inter partum et contractionem vasorum uteri de la Boe Sylvius; spasmum vasorum uteri Gorter, Heister, Schulze; mutatum uteri tonum et orgasmum crassitudinemque sanguinis Stahl et Junker; sanguinem lochiorum esse depravatum et contagiosum medici ab Galeno usque ad Heisterum et Mercatum opinabantur. Quamquam inter medicos de contagiosa lochiorum natura controversia composita erat, tamen ob sanguinis effectum depravati in concordiam redire non potuerunt. Mauriceau, Hoffmann, Burton, Smellie, Tissot, Johnston aliique retentionem et anomaliam lochiorum efficere singularem metritidem censuerunt; Boerhave non solum metritidem fieri arbitratur, sed

etiam omnes partes inflammari, ad quas lochia retenta metastasin faciunt, et Willis a materia septica lochiorum febrem putridam ducere vult. Inter eos, quibus metastases lochiorum placent, multi puerperas aliis quoque morbis vexari posse optimo jure contenderunt, Hippocratem secuti. Atque ex his Sennert duas accusat causas principales, suppressionem lochiorum et depravationem succorum, qui in corpore, dum partus geritur, accumularentur, enixu vero emitterentur. Quibus Riverus quidem victus vitia febremque gastricam, et Willis actiones uteri varias in partu et lactis secretionis anomalias adjunxerunt.

2. Sententia, quae lactis metastasin ponit.

Quamquam metastasin lactis Mercurialis primus in capite, quod inscriptum est „lactis abundantia" causam multorum puerperarum morborum, et Schenkius Germanicus lactis dyscrasiam nominaverunt, tamen primus Puzos (1753) sibi viam ad lactis metastasin patefecit, eumque Levret, Biker, Raulin, David, Sauvages, Boerhave, van Swieten, Baldinger, Schlegel, Selle, Hufeland, Sachtleben, Hecker multique imprimis Germanici secuti sunt. Iidemque febris puerperalis naturam in lactis metastasi, vario modo confecta, cujus non solum in thoracis et cranii, sed praecipue in abdominis cavo multitudinem ingentem invenerunt, positam esse arbitrati sunt; et apoplexias, ophthalmias, pneumonias, pleuresias, peritonitides, tumores, abscessus, manias, melancholias, neuroses lacteas descripserunt. Inquirendum autem est, num succus repertus in corporis cavis aut sub cute (Bordeu) aut in tractu intestinorum (Rommel) lac sit, qua quidem de re medicorum sententiae inter se differunt, alii enim rem ita esse (Selle sententiae Hermbstädti confidens), alii vero illum humorem esse purulentum, alii denique lympham exsudatam

censuerunt. Jacquin, quod fluidum in abdomine effusum reperit, id paucis horis post mortem accuratiori analysi chemicae subjecit, ex qua analysi lympham exsudatam esse et lactis natura carere apparuit. Haec analysis praecipueque morborum genius mutatus (inflammatorius) doctrinam lactis metastasium labefecit. Epidemiae quoque, quas Selle et v. Swieten observarunt, demonstrant, metastasin lactis febris puerperalis causam proximam non fuisse; puerperarum enim mammae tum demum, postquam febris signis cum gastricis, vomituritionibus, magna praecordiorum anxietate, abdominis doloribus ac diarrhoea exorta est, lac secernere desinebant. Qua de re ejus recessus, morbi effectus, naturam morbi efficere nequit. His pertractis, quomodo metastases lacteae nascantur, quaerimus? Lac in mammis jam generatum resorberi et in aliis partibus deponi, jam nemo crediderit. A pluribus autem scriptoribus dictum est, materiam lacteam per sanguinem perfusam eas efficere, quaeritur simul quo modo ista molis tam brevi tempore accumulari possit? In conformandis vero his metastasibus est capitale ac universale principium, substantias, quae in liquore amnii et lacte sunt, impediri quominus in utero et mammis et cute secernantur, sed in regionibus ineptis, pro tempore autem proclivis aut morbosis. Distinctior igitur illa causa cernitur, cum putamus, organum quodque inprimis serosum vel mucosum potentia quacunque externa vel interna in talem statum secundum sympathiam morbosam transferri posse, multoque facilus, febri durante. Quis est, quin viderit rheumatismum extremitatum ad pericardium, et testiculorum inflammationem ad parotidem transferri. Sed de hac re infra fusius disputabimus.

3. Status gastrico-biliosus.

In historiis quidem morborum puerperarum Hippocrates vomitum biliosum, diarrhoeam biliosam et urinam turbidam enu-

meravit et morbos febres biliosas epidemicas significavit, quae indicia posteriores neglexerunt, inter quos Trincavellus jam sanguinem et mucosum et biliosum et, lochiis suppressis, putridum habuit, sed febrem puerperarum gastrico-biliosam non commemoravit, parique modo Riverus, qui causas proximas morborum puerperii victus rationem depravatam et gastrico-biliosam cacochymiam indicavit. Quo factum est, ut genius morborum biliosus quem Stoll observavit, febres puerperales biliosas revocaret simulque cum iis illam doctrinam eliceret. Stoll enim in cujus sensentiam Fabri, Barthol. de Battisti, Emerius, Schaefer, Adrian Diel, Burserius, Vogel, Lentin et Richter discesserunt, minus a vero aberravit, quam multorum medicorum opiniones jam recensuit, cum febrem puerperarum indolem gastricam biliosam, rarissime inflammatoriam induere putaret. Quodsi vestigia phlogosis ac gangraenae in cadaveribus dissectis inveniantur, illa pro effectu non causa habenda esse affirmavit, hujusque rationem cum hydrophicorum gangraena comparavit. Pariter P. Frank — saburras gastricas, quamvis gastricorum signorum turba quam plurimum falacitatis habere possit, ad morbum puerperii quam plurimum contribuere et has ipsas, ut intestinorum, peritonaei inflammationes, producere posse. Febris puerperalis natura magis statu gastrico bilioso quam inflammatione niti putabatur. Morbum, de quo agimus, saepissime cum gastrico statu conjunctum esse solum fatendum nobis non est, sed etiam frequenter signorum tam inflammatoriorum, quam nervosorum, aliorumque societatem inire concedere debemus. Unde satis elucet, statu gastrico solo febris puerperalis naturam non contineri.

Sententia, quae morbo inflammationem subesse vult.

Venio nunc ad morbi naturam phlogisticam, de qua, doctrinis

status gastrici deturbatis, scriptores quidem inter se convenerunt, sed de sede inflammationis controversia orta est.

a. Metritis.

In morbis puerperarum Hippocrates dolorem partium muliebrium pro argumento uteri inflammationis habebat, tametsi negat omnibus puerperarum morbis phlogosin et ulcerationem subesse. Primus Felix Plater fuit, qui metritidem causam proximam febris puerperalis habuit, quem Morton, Fr. Hoffmann, Mauriceau, Boerhave, Joh. Burton, Ed. Johnstone, Thom. Denman, Kirkland, Brefeld, Gilchrist, Smellie, Raulin, Tissot, Burserius, Froriep, Renard, Martin (Lyon) Lippich, Rob. Lee aliique secuti sunt. Inter hos Kirkland et Burserius uteri inflammationem, si non unicam, tamen saepissimam febris puerperalis causam existimant, inter reliquos omnes de causis et genesi metritidis adhuc lis est. Namque Mauriceau, Hoffmann, Boerhave, Smellie Tissot, Johnstone lochiorum suppressionem causam inflammationis censent, effectum cum causa confundentes; attamen jam F. Hoffmann febrem uterinam (metritidem) non solum a lochiis, sed etiam ab aliis noxiis originem petere posse contendit. Qui medici, etsi metritide naturam febris puerperalis contineri judicaverunt et de sede morbi inter se non dissederunt, nihilominus tamen natura affectionis uteri ejusque propagatio eos fugit, quae res metritidi periculum fecit, praesertim quum nec in sectionibus inflammationis vestigia praegrassae detegerentur, quoniam medici ignorabant phlogosis vestigia saepissime a conspectu recedere post mortem 1).

---

1) Klark in epidemia a. 1787 & 1788 observavit.

nec puerperae doloribus in regionibus hypogastricis vexa-rentur.

Quo factum est, ut, qui metridi faverant, e medio abirent, donec recentissimis temporibus epidemiarum scriptores Hüte, Rob. Lee phlogosin veram, et Lippich metritidem septicam declararunt.

b. Enteritis.

Febrem puerperarum ab inflammatione (erysipelatosa) abdominis viscerum omentique originem ducere Hulme, Leake, de la Roche, Metford, Heuter, Kohleneif, Zeller (Vindeb.) Mylius et P. Frank (enteroperitonitis) existimant; inter quos Hulme, Roche et Metford uterum ab intestinis pressari, quae ita ad inflammationem praeparentur et noxiis occasionalibus procliva fierent, demonstrant; hanc autem sententiam Leake rejiciens, repentinam praecipue ponderis remotionem ab intestinis post partum, qua orgasmus sanguinis ad intestina adducatur, et dispositionem phlogisticam, accusat; Zeller contra noxia externa, inprimis refrigerium. Tunicae mucosae intestinorum mentionem non fecerunt auctores, et de Pommer et Broussais primi fuerunt, qui medicos ad hanc comparationem febris puerperalis cum pituitosa et nervosa rejecerunt. Quam vero affectionem tunicae mucosae intestinorum secundariam ab utero profectam Eisenmann demonstravit, historiasque praecipue sectionum ab Lecointe, Ritgen et Martin descriptas citat. Phlogosin esse veram Eisenmann negat, — sed ex constitutione aeris epidemica pendentem et diversis locis diversisque temporibus diversam, nec enteritidem mucosam, nec serosam esse affirmat.

c. Peritonitis.

Cum cadaveribus dissectis in abdominis cavo saepissime copiam exsudati et purulenti et ichorosi et lymphatici ingentem et ruborem peritonaeum tingentem invenirent medici, haec signa ab inflammatione antegressa emanare putarunt. Inter quos Hunter primus ortum febris puerperalis a peritonitide duxit, quam sententiam Johnston in dissertatione de febre puerperali 1) et Walter libro de morbis peritonaei inscripto in Germania divulgarunt, et in Britannia Burns, Armstrong, John Davy et in Germania P. Frank, Kurt Sprengel, Markus, Wenzel, Horn, Harless, Siebold aliique et postea etiam Francogalli Capuron, Leyouais, Murat, Gasc, Baudelocque, Tonelle etc. secuti sunt. De peritonitide P. Frank haec ait: „Inflammatio certe in nulla quam hucusque secuimus, puerpera, ad peritonaeum vel ejusdem appendices nec purulenta unquam materies defuit, atque haec ipsa tam cito subsequuntur, ut pro aliorum effectu magis quam causa agnosci non queant. Hinc nihil, ut opinamur, vetat, quin morbum ad peritonitidem referamus, quae sicut ex quovis stimulo, et ex multiplici causarum supra commemoratarum congregie, ad partes peritonaeo investitas hujusque appendices, in subjectis irritabilitate morbosa instructis, oriri. Negari quidem non potest, peritonaei inflammationem saepissime cum febri puerperali conjunctam esse, praecipue cum alia signa superveniunt, cum abdominis sensibilitas tantopere est aucta, ut ne minimum quidem digitorum attactum, nec mollissimum stragulum ferre possit, vel quum vomituritionibus vomitu

1) 1779 Edinburg.

que viridi aegrota vexata est; quod si est, malum in utramque sese extendens partem, non solum intestina, sed etiam musculos abdominis interdum in affectionem phlogisticam attrahit; sed quo modo inde febris puerperalis natura explicari potest? Quamquam in plurimis febribus puerperarum cadavera phlogosis signa ostendunt, tamen eam meram phlogosin habere non possumus, nisi secundariam a tunica mucosa intestinorum vel ute. profectam, ita ut novissimorum temporum medici, Roederer, Wachler, v. Pommer, inflammationem, quam typhosam vocant, agnoscant. Omnis fere peritonitis plerumque a tunica mucosa intestinorum orta et secundaria [et affectio primaria inflammatoria peritonaei (metritis externa) rarissima] est, cum virorum cadavera febribus mucosis vel nervosis mortuorum exsudati qualitatem et quantitatem eandem quam puerperarum praebuerint. (Roederer, Wachler, v. Pommer, Eisenmann).

Ex multis aliis causis, quae medicorum sententiae febrem puerperalem et peritonitidem unam eandemque habenti contradicunt, hasce tantum adjungimus, peritonaeum aut inflammatum aut gangraenosum in omnibus hac febri defunctis nos invenire oportuisse, quod sectiones non comprobant, unde sequitur, febri non semper esse characterem inflammatorium.

His perstrictis ad Eisenmanni sententiam redeo, qui affectionem puerperarum peritonaei secundariam plerumque ab utero et tunica mucosa intestinorum profectam, nec inflammatoriam esse sed rebus endemicis et epidemicis, genio epidemico niti dicit, qua propter diversisis temporibus locisque affectiones erysipelatosas, rheumaticas, pyrosas, typhosas et biliosas charactere sthenico, hypersthenico, asthenico et putrido notatas medici invenerunt. Auctorum controversias silentio praetereo, qui peritonaeum (tunicam serosam) inflammare posse negant, cum anatomia pathologica hanc sententiam falsam demonstrave-

rit; pariter quaestionem, cur inflammatio tam facile celeriterque in exsudationem transeat hic omitto, de qua alio loco fusius disputabo.

5. Inflammatio erysipelatosa.

Et varios gradus et varias species semper medici inflammationis distinxerunt, quo factum est, ut inflammationes in erysipelatosas (superficiales, erythematosas) et phlegmonosas (profundas) dividerent et omnes affectiones, quibus signa phlogosis defuerunt ad erysipelatosas numerarent et ad erysipelacearum familiam varios morbos confunderent. Originem febris puerperalis ab affectione erysipelatosa primus deduxit Pouteau, quem deinde de la Roche secutus est, qui febrem puerperarum ex inflammatione erysipelatosa intestinorum pendere contendit, quorum sententiae Home et Bayerhoffer 1) assenserunt. Vidit quidem maculas erysipelatosas Home, et Kirkrand, Malfatti, Bell aliique, etsi morbos acerrime perscrutantes, speciem tamen febris puerperalis erysipelatosam non disjunxerunt.

6. Sententia de natura typhosa morbi.

Febris puerperalis putridae ex sanguinis septica cacochymia ortae Th. Cooper, Sennert, Riverius et Willis omnino quidem mentionem jam fecerunt, sed non omnes febres puerperarum censebant putridas, et morbos putridos et alias febris species charactere putrido insignes confundebant. Ex his, quem primum nominavimus, characterem putridum ad quartum fere diem ex inflammatorio, qui praeierit, originem ducere, non nega-

---

1) 1811 epidemiae Heidelberg. observat.

vit. Naturam septicam posteriores omittebant, donec esse febrem nosocomialem puerperarum, quae Parisiis superiorem partem noseocomii, quod cognominatur Hôtel Dieu, obsidebant, e quibus permultae tunc temporis morbis dictis chirurgicis laborabant existere ab Johnson, Aikin et Whyte agnotum et comprobatum est. Quod Whyte de febri puerperali septica statuit „materiam hanc putridam aut in ipso corpore gigni aut extrinsecus aere vaporibus septicis mixto in corpus transferri" ideo Pitt-Walsch auxit amplificavitque, quod contendit febrem puerperalem esse synochum contagiosum cum peritonitide magis minusve extensa copulatum. Genio morborum mutato, doctrinam hanc omissam videmus; novissimisque demum temporibus Cruveilhier typhum puerperalem memoratu dignum habet. Quid de natura contagii, de similitudine inter contagia, miasmata et gangraenam nosocomialem, ejusque evolutione et propagatione dicam, cum de his rebus nulla sit dubitatio. Ex omnibus epidemiarum historiis efficitur, ut epidemiae typhosae saepius in frequentioribus urbibus, nosocomiis et in institutis puerperis dicatis, in quibus aër corruptus, integumenta etc. infecta non renovantur, quam inter agricolas existant et vigeant. Ceterum vis contagii minus late patet; interdum quaedam tantum nosocomia parturientibus destinata inficiuntur, saepius unum alterumve solum conclave vel et ipsae aedes privatae.

7. Sententia physiologica.

Initio hujus saeculi naturae morbi puerperarum rectius definiendae de Autenrieth operam dedit, qui maxime graviditatis, partus et puerperii mutationes et impeditam humorum viam spectavit, et de orgasmo sanguinis, vi plastica utero nitente inter graviditatem, deque affluxu humorum ad cutem et uterum et mammas post partum verba fecit; febremque puerperalem a

congesta atque cumulata in organis interioribus materie nutrice derivat, i. e. ex turbata cutis transpiratione, lactatione, lochiorum secretione, quam opinionem Schmidtmüller, Carus, Jörg, d'Outrepont, Hänsler, Speith et laudarunt et aliquatenus mutarunt.

Ex his enim Schmidtmüller naturam morbi inde deducit, quod mammae, cutis, uterus et intestina reliquorum organorum functionem suscipere non valent. Carus, si puerperii rationem propriam, inquit, subtilius mente complectamur, si magnam contemplemur affinitatem, quae est inter nisum formativum et inflammatorium, si haec omnia febrisque decursum consideremus, non dubitare licet, quin ejus natura ponenda sit in impedita interiorum partium revolutione, quam natura ipsa postulat. Hanc revolutionem praecipue in locis anomalis cum phlogosi et magno exsudationis studio conjunctam vasorum nimis excitata actione cernimus. Et post partum vim plasticam auctam uteri gravidi ad foetum formandum partim ad cutem, partim ad mammas migrare neglectamque humorum migrationem aut retropulsam ad locum pristinum, vimque plasticam gravido uteri necessariam post partum autem intestinis anomalam noxiamque febrem puerperalem promovere Jörg contendit: idemque alio loco demonstrat, inflammationem vel erethismum corporis cujusdam partis energiam peripheriae (lactationem et transpirationem) deprimere functionemque tanquam sibi arripere, ita ut functiones puerperii turbentur febrisque vehemens producatur. Energiam autem periphericam, revolutionem a causis externis, praecipue refrigerio, turbatam vimque plasticam inter graviditatem constitutione aëris benigna auctam, causas febris puerperalis accusat d'Outrepont. Et in morbum, de quo tractamus, refrigerium, praesertim aërem perfluum magnam vim exercere Zellerus experimentis in celeberrimo puerperarum nosocomio Vindobonensi docuit; serenitatem quoque aestivam et aeris constitutionem, quae herbarum segetumque incre-

mentum maxime adjuvant, mulierum conceptionem adauger Mansfeld memoravit, sed febrem puerperalem adducere poss negandum est.

8. De varia febris puerperalis natura et divisione

Varias jam species et causas febris puerperalis Hippocrate nosse libri de epidemiis et de mulierum morbis scripti, sati superque declarant; in libris enim epidemiarum febris puerperalis biliosae et in mulierum morbis effectus aeris noxii, quem lochia suppressa retentaque, metastases, uteri ulcera ab septica cacochymia orta, inflammatio, suppuratio et ulceratio habent mentionem fecit. Medio quoque aevo plures hujus morbi species vel causas medici agnoverunt, inprimis lochiorum suppressionem et humorum accumulationem depravatorum inter graviditatem accusarunt; quibus Riverius diaetae vitia adjecit, quae febrem gastrico putridam efficiant; et noxia mechanica inter partum, et secretiones lactis anomalas Willis. Vim autem aëris ejusque mutata indoles neglexerunt, quarum postea White praecipue mentionem fecit. Ex Willisii auctoritate, ut supra diximus, omnes puerperarum morbi febriles nomen ,,febris puerperalis' acceperunt, quo factum est, ut ex communi nomine de communi quoque febris natura conjecturam medici facerent, quod verba Willisii nobis ostendunt. — Puerperarum febres natura quidem a synocho tum simplici tum putrido plurimum differre, e signis et symptomatibus earum rite perpensis liquido constat. — At vero inter acres et diligentes posteriores morborum observatores, qui puerperarum quoque febres accuratius perspicere studebant, has varias species Kirkland 1) primum nominat: febrem

1) 1778.

puerperalem metritide ortam, 2) inflammatione intestinorum omentique, 3) resorptione sanguinis putridi, 4) vaporibus aëri admixtis putridis, 5) stasi, depravatione et lactis resorptione. 6) sordibus primarum viarum. Parique modo medicorum sententias Stollii verba mutarunt. „Nulla febris est, inquit, quae non aliquando in puerperam cadat, ea vero praeprimis, quae constitutioni praeest" ejusque in sententiam postea Wittwer, Fabri, Burserius, Vogel, Stark, Ratzky, Emerius, Sachtleben aliique jurarunt, ex his Sachtleben ita divisit: 1) febrem puerp. inflammatoriam, 2) feb. puerp. biliosam (infl. biliosam et biliosam putridam) 3) febr. puerp. pituitosam (a, synocham pituitosam, b, biliosam pituitosam, c, septicam mucosam, d, nervosam pituitosam) 4) febr. puerp. putridam (a, inflamm. putridam, b, nervosam putridam, c, infl. nervosam putridam) 5) febr. puerp. nervosam (a, infl. nervosam, b, gastricam nervosam, c, putridam nervosam).

Quibus medicorum sententiis non multo post peritonitidis theoria corruptis ab Anglis ipsis novissimis temporibus variae morbi species disjunctae sunt, qui antea peritonitidem puerperalem in vulgus medicorum produxerant, et Stollii et Sachtleben veritates detruderant, hosque viros Duglas, Hamilton, Cusak et Germani secuti sunt.

DE FEBRI PUERPERALI UT MORBO PROPRIO.

Plura quidem supra jam memorata ad litem illam attinent, an febris puerperarum morbus proprius sit, puerperasque tantummodo corripiat, nonnulla tamen brevissimis verbis adjungenda sunt. Febrem, de qua tractamus, una eademque causa adduci Kirkland et Zeller arbitrantur, quorum alter, etsi ob puerperii statum insignem omnes affectus febriles similitudinem inter se habere fatetur, tamen idem febris genus diversissimis rebus

afferri posse demonstrare studet; et puerperii fibrem puerperiis solis haud attribendam sed, potius insuetum communis morbi genus, reveraque nihil aliud, quam pervulgatam febrem contagiosam cum peritonitide conjunctam Walsch contendit, nec propriam sed modificationem tantum solitorum febrium generum esse, nunc gastricam, nunc putridam, nunc typhosam, corporisque habitui, victusque rationi, aetati, temperamento, causis praegressis, anni tempori, tempestati et ceteris causis nitentem descripsit. P. Frank autem, qui hunc morbum nihil aliud, quam peritonitidem esse vult, quae quidem multis rebus a ceteris peritonitidis speciebus differat, haec ait: „certe eundem, quam qui pro febri puerperarum declaratur, tum in foeminis non gravidis, neque puerperis, tum in virginibus atque in ipsis demum viris observavimus morbum.“ Et morbum sui generis propriaeque originis febrem puerp. Thomson et Manning agnoscunt et ad hanc sententiam demonstrandam, febrem puerperalem neque momentorum noxiorum, ex quibus origo deducitur, ullum vidisse contendunt, quam quoque opinionem Horn maxima ex parte defendit; febrem puerperalem, de quo agimus, dicit, multis a causis non esse propriam et substantialem febris speciem; nam licet indoles in universum semper redeat specifica, tamen neque ejus gradus, neque naturam perpetuo eandem manere, qua de re certa methodus sanandi, quae in omnibus casibus salutem afferat vulgoque commendari possit, nulla sit.

Sicut enim pneumoniae, quae gradus atque indolis ratione modo sthenicum modo asthenicum decursum facit, natura propria nequaquam abjudicari potest, ita febris puerp. sive sthenica sive asthenica, eadem observatur conditio, curandique methodo gaudet. Quod peritonitidem vel metritidem, quae saepissime primas agunt partes, toto cum morbo confunderent medici, ratum habere possumus; et tota febris, recte dicit Carus, propter periodum, in quam incidit omnino peculiarem

indolem propriam nascitur. Nomen autem morbi commune varias doctrinas ad communem et propriam naturam febris declarandas in vitam vocasse et morbi species non permisisse supra jam commemoravimus, nec morbum eundem semper esse medici viderunt et causas proximas et occasionales puerperii indolemque cognoverunt, de qua Carus praeclare concedit: hanc sanis sensibus atque subtiti observandi facultate melius in natura ipsa cognoscendam quam verbis definiendam; sed plerique nominis causa, quominus febres puerperarum dividerent definirentque impediti sunt, et definitiones speciesque morbi, quae nobis sunt, et epidemias, quas observarunt medici, demonstrant et ab noxiis externis, et sede ceterisque rebus acceptae sunt. Quapropter nobis diversa occurrunt nomina — febris uterina simplex, febris traumatica uterina simplex, fbr. rheumatica puerp. simplex, febris lactea protracta, fbr. infl. et nervosa, sthenica puerp., febr. asthenica puerp., febris uterina et traumatica maligna, febr. rheumat. maligna, febr. lactea maligna, febr. puerp. epidemica, sporadica, miasmatica, benigna, maligna, inflamm., inflamm. gastrica nervosa, septica, peritonitis, metritis, oophoritis, enteritis puerperarum, phlebitis uterina etc. Morbum describendi dividendique difficultates intellexerunt novissimis quoque temporibus Bischoff et Schönlein, quorum alter „febrem puerp. continuam remittentem puerperiis tantum propriam puerperioque nitentem, quae doloribus fixis continuis aliquo in sensibilissimi et tumescentis abdominis loco et singulari exsudationis proclivitati materiae serosae aquosaeque se manifestet, appellat; febresque in epidemicas, sporadicas, benignas malignasque, et secundum febris characterem in inflammatorias genuinas et rheumaticas, et secundum complicationem, in synochas gastricas, nervosas et putridas, secundum topicas affectiones, cum peritonitide exsudatoria, metritide, oophoritide, enteritide et hepatitide conjunctas divisit; alter

quatuor species, ut dysenteriarum, ereticam, synochalem, erysipelatosam s. gastrico-biliosam, typhosam s. torpidam disjunxit. In Schönleinii sententiam et Eisenmannus discessit eamque amplificavit, quod febrem puerperalem in familias s. genera artificialia partivit, quae plures species complectuntur. Ne vero omnes morbi puerperarum ad febrem, de quo dicimus, numerentur hanc definitionem nobis dedit, ex qua criterium illud spectat superficies uteri vulnerata et morbosa, in quo febris puerperalis definitio posita sit." Febres puerp. sunt morbi febriles, qui in superficie placentae solutione vulnerata uteri germinant, radices agunt, incrementumque capiunt, et ab hac sede primaria et principali in alias partes morbo faventes diffundunt. Membrana mucosa uteri hoc tempore laesa ut quaeque vulnera, noxia omnia, miasmata vel contagiosa vel epidemica accipit, variasque febris puerperalis familias producit. Morbum quoque rarissime aliis in locis germinare singularibus rebus adjutricibus, et ex his ad uterum progredi posse condedit. Tunicam autem mucosam solutione placentae vulneratam aliquo morbo laborare essentialemque causam puerperarum febrium esse in prima parte libelli, quae de febribus vulnerariis et puerperalibus inscripta est, demonstat. Opinionibus vero medicorum excellentissimorum breviter expositis et illustratis, genera quoque morbi, quae Eisenmannus statuit, adducere liceat, quae sunt:

1) Metrophologosis puerperarum, a, metroph. dynamica, b, didynam.
2) Metro-erysipelas a) dynamica, b) didynamica, c) adynamica.
3) Febris puerperarum variolosa.
4) Metrorrheuma a) metroperitonitis rheumatica, b) pleuritis rheum., c) arthritis rheumatica, d) sparganosis rheum. puerp., e) neuroses rheumaticae.

5) Metromelina (febris puerp. miliaria a) dynamica, b) didynam., c) adynamica, d) biliosa.

6) Metrocatarrhus.

7) Metropyra (febr. puerp. pituitosa).

   A. secundum morbi characterem, a) dynamica, b) didynamica, c) adynamica.

   B. Secundum sedem, a) Metrophlebopyra, b) Pneumopyra, c) cephalopyra, d) teleopyra, e) sparganosis pyrosa puerper.

   C. Secund. complic. Metropyra biliosa.

   D. Secund. typum. Metropyra intermittens.

8) Metrotyphus (febr. p. putrida) a) dynam, b) didynam, c) adynam, d) biliosa.

9) Metrocholosis (febr. p. biliosa) a) dynam, b) didynam, c) adynam.

10) Metrotyposis (febr. p. intermitt.) a) dynam, b) didyn., c) adynam, d) biliosa.

11) Metrosepsis (putrescentia uteri).

   A. Putrescentia uteri ex febre puerp. orta.

   B. — — foetus vel secundinarum mortificatione septica orta.

      a) Putrescentia uteri membranae deciduae mortificatione profecta.

      b) — — foetus mortificatione ort.

      c) — — placenta putrida retenta prof.

   C. Putrescentia uteri genuina.

MORBI AETIOLOGIA.

Multae vel plurimae amovebuntur difficultates, si graviditatem atque puerperium pro peculiari evolutionis stadio organismi muliebris habemus, ab aliis periodis tam dissono, quam

aetate puerilis differt juvenilis magisque quidem, quum ex una in alteram aetatem transitus multo leviores et longiores, quam e summae graviditatis statu in pristinum. Graviditatem autem statum morbosum habere, procul absumus; sed vitae individualis status peculiaris et insolitus jure optimo appellandus. Quid de mulierum morbis dicam, qui foeminas vexant post pubertatem, nisi naturae jura concedantur merita? Omnes autem natura actiones eo vehementiores et turbulentiores, quo brevius decurrunt majorque mutatio ac repentina, qua efficiuntur; qua de re, quamvis partus per decimum fere graviditatis mensem sensim sensimque praeparatur ab natura, bono jure metuendus, parique modo status post partum, cum febris puerp. tunc exoritur, si puerperae status is, qui ante puerperium et conceptionem fuit, non renovatur. Ad causas vero febris puerp. accuratius enumerandas, has ut in omnibus morbis, in praedisponentes et occasionales divisimus; et ad causas praedisponentes (proegumenas) numero graviditatem et partum et puerperium (proclivitatem). Quamvis omnibus puerperis sunt pares causae praedisponentes, tamen vario modo mutantur, quae breviter adjicienda sunt. Sed quid aetatem, corporis habitum, temperamentum, vivendi rationem, patriam, mores, idiosyncrasias et morbos antecedentes memorem, quibus praedispositio mutatur, majorque fieri potest. A conceptionis momento usque ad partum nobis organismi mutationes variae occurrunt, ut electricitas mutata, quam negativam esse Gardin demonstravit, materia alimentaria aucta, sanguinis status mutatus, (tardius enim coagulatur atque crustam, quum dicunt inflammatoriam s. lacteam aut mutata electricitate (Berzelius) aut majore materiae fibrinae copia efficit) cordis actio mutata, ventriculum sinistrum crassiorem, fortiorem magisque rubrum Larcher observavit in gravidis. Organismi vis plastica mutata auctaque, quae a periphericis partibus ad uterum tendit; hanc ob causam ossium

fracturae vulneraque omnino non vel tardius sanant, ipsique morbi perniciosissimi vitae fonte carent et inter graviditatem removentur. Ad has uteri functiones illustrandas, venarum et arteriarum actionem fortiorem aut inflammationem pronunciemus necesse non est. Sed partu mutatur vis plastica, alium locum vera abdominis plethora petit, quae ad mulierum idiosyncrasiam pertinet, partemque maximam uteri functionum suscipiunt et continuant neonato pabulum praebentes mammae, et ad alteram liberi vitam propriamque melius sustentandam menses inter lactationem conceptionisque proclivitas deesse solent. Haec secretio lactis normalis tertio puerperii die saepissime incidens eandem rationem ad graviditatem et puerperium quam crisis ad morbum habet, et humorum nisusque formativi migratio ad mammas, quamvis aegritudo non censenda sit, attamen crisis vel lysis puerperii appellanda. Nonnulli quoque hanc crisin (perturbationem puerperii criticam) febrem lacteam ephemeram nominarunt, licet magnas in organismum universum aut systema uterinum aut alias partes efficere non soleat, si glandulae mammales bene conformatae sunt. Illa tamen febris ab hac disjungenda, quam appellamus secundariam, protractam malignam, et inde fieri potest, ut functiones mammarum, qualibet potentia noxia impediantur, statusque febrilis sic dictus, qui cum conformatione lactis conjunctus est, non levis praetereat, sed diversas ob causas singulares induat formam vehementiorem, faciatque metastases, quod crisis in loco apto fieri nequit. At vero ad puerperii crises redeamus. — Sicut quisque morbus, ad statum sanum recuperandum, sic puerperium, topicis et universalibus crisibus indiget, ex his nunc lochia appellamus, quae majore cum jure quam secretio lactis ad crises sunt referenda. Hae enim per tres post partum dies sunt sanguinea, deinde serosa et mucosa et a natura, ut uterus statum pristinum assequatur, materiasque auctas et mutatas amoveat et

auctam vim plasticam (plethoricam) cum toto corpore aeque crisis topica instituta. Ex crisibus autem universalibus transpiratio cutis est praestantissima et sudori aucto inest major acidi lactici copia, quod quoque in urina invenitur. Supra jam lactis secretionem et conformationem febrilem statum levem nominavimus, quo tempore vasorum nervorumque irritabilitas est incitata, quae, si labores, quibus cum partus ipse est conjunctus et tunicam mucosam uteri vulneratum adnumeramus, magis magisque se ad praedispositionem morbosam incline necesse est. Uxorum enim proclivitas morbosa tempore quo menses fluunt, major est, quanto major tempore lochiorum. Quid dicam de venarum uteri cum superficie vulnerata communicatione earumque ad phlogosin infectionemque proclivitate, de arctissimo uteri, ovariorum, et peritonaei consortio, de quo Carus ingeniosissime ob tensionem et relaxationem subitam deducit peritonitidem. —

Ex multis rebus, quae morbi praedispositionem augere possunt commemorem liceat aetatem adultiorem, quum partum reddat difficiliorem et usque ad partum continuatum cum viro commercium. Causae occasionales: Jure meritoque aër vitae morborumque 1) pabulum nominandus est, cujus variae non solum constitutiones noxivae varias febris puerp. species efficiunt, ut miasmata et contagia terrae, nosocomiorum, domiciliorum tam privatorum quam publicorum puerperis dicatorum demonstrant, sed etiam varia temperatio (calor, frigus, commutationes, aër perfluus), siccitas, graviditas, electricitas mutata, ventus, mephites sunt morbi seminia. Tribus quoque verbis somaticas et psychicas, locales et universales causas pronunciamus, quas in quatuor classes, gesta, ingesta, retenta, excreta et applicata

---

1) Hipp. Lib. de aere, locis etc. cap. I.

xterna divisit Boerhaave; nutrimenta, medicamenta venenaque quae qualitate, quantitate et inopia noxia esse et abdominis lethoram augere possunt) labores graves, otium corporis, per-igilia, animi affectus, secreta excretaque copiosa et retenta, norbos antecedentes et suppressos, vitia organica et topica teri aliarumque partium, noxia mechanica, contusiones, rup-uras, laesiones sive instrumentis sive exploratione manuali vio-enta factas, partus graves, imperfectam uteri contractionem et nperfectam crisin lactis et suppressam, ceteraque. De genesi ontagiosa fusius in nosologia, quam nunc describere meum est.

NOSOLOGIA.

Uteri superficies interna vulnerata triplici modo miasmatibus el contagiis in morbum protrahi potest, aut infectione topica, a ut membrana mucosa laesa virus resorbeat, aut effluvia ontagiaque respiratione in sanguinem producuntur et in utero ritato locum infectioni proclivum inveniunt, aut noxia, ut sae-issime fit, aeris simul et ab utero et pulmonibus excipiuntur. Iorbi quoque a medicis observati sunt, qui nobis organismum iter graviditatem miasmata vel contagia jam accepisse veris-ime demonstrant, ad hos exanthema aphthosum ab Ritgen bservatum in tunica genitalium mucosa, portionisque vaginalis lethora et nimis aucta sensibilitas jure numerantur et saepius ebri puerp. praecurrunt.

Si radices jam morbus in uterum egit et maxima cum ve-ocitate se propagavit, tum quoque mutationes efficit singulares, uibus vario modo lochiorum fluxus mutatur et turbatur. Ste-osis enim minime qualitatem et quantitatem mutat et hyperste-osis secretionem minorem facit aut omnino amovet, et asthe-osis qualitatem mutat vel adeo auget. Sed non solum lochia, ed etiam uteri substantia, postquam morbus initia cepit, affi-

citur, et asthenosin paralysis, sepsis, ulceratio et putrescen[illegible] secutae sunt. Ab hac uteri putrescentia, quam in variis feb[illegible] puerp. speciebus invenerunt medici, metrosepsis s. putrescen[illegible] uteri genuina disjungenda. Sicut autem ab loco primario m[illegible] bus se in tunicam vaginalem et genitalium pervagat, sic quoq[illegible] venarum (spermatic. et hypogastric.) et vasorum lymphaticor[illegible] tunicam intimam petit et exsudata purulenta, gelatinosa et ich[illegible] rosa efficit. Saepissime peritonaeum corripitur, in primis [illegible] pars, quae uterum, ovaria tubasque obducit, primum, quoni[illegible] haec membrana serosa in multis tunicarum mucosarum mor[illegible] acutis et exanthematibus studio quodam, quod versus pol[illegible] inclinat, afficitur, quasque affectiones earumque exsudata sa[illegible] pissime in pneumoniis, febribus mucosis, nervosis, variolis [illegible] scarlatina invenimus; tunc, ob arctissimum cum utero vincul[illegible] et magnam inter graviditatem extensionem et post partum r[illegible] laxationem; denique quod ob in utraque uteri parte sitaru[illegible] magnum venarum plexum inest primaria vis generandi, de q[illegible] bus supra jam diximus. Sed ut certo numquam dignosci potes[illegible] quaenam peritonaei pars in febri puerp. phlogosi affecta s[illegible] modo enim hic modo illic sedem habet, nisi forte totum perit[illegible] naeum correptum sit; sic quoque, has tantum partes phlogos[illegible] afficere, ab his enim partibus in alias membranas serosas, ple[illegible] ras, pericardium, arachnoideam etc. transit, et peritonitide[illegible] omnibus in febribus puerp. adesse, minime contendi potes[illegible] Hanc enim in febribus scarlatinis puerp. non observavit Ma[illegible] fatti, et in epidemia 1819 Vindobonae nonnunquam defuit per[illegible] tonitis exsudativa, praesertim in puerperis febri XIV—XV di[illegible] post partum correptis vel febri asthenia defunctis, quamvis ho[illegible] tempore febris puerp. comes vulgaris fuit exsudatum. Omnibu[illegible] autem puerperarum exsudatis haec sunt communia, quod i[illegible] febr. dynamica et didynam. magis magisque sunt coagulata e[illegible] materiae ditiora fibrinae, et in asthenica glutinosa vel purulenta

uibus materia albuminosa, adeps, sanguinis salia, aqua, gelana, collen animale, Ammonium, aliaque salia insunt, eorumque irus contagiosum sat satisque medicis praecipue Anglis cognim, quae omnia Gruithuisen, Boer, Jacquin, Chaussier, usch commode pertractarunt. Nonnulla de tunicae affectione ucosa intest. licet dixerim, attamen adjicio, rationem rei nde petendam, quod morbi materia peccans, si in morbos tuicae intestinorum mucosae inclinat, ut constitutio mucosa, puida et biliosa hanc quoque afficit simulque ab morborum enio pendet, quo factum est, ut febris puerp. erysipelatosa enio morborum exanthematico regnante minus, magis autem astrico ad tunicam mucosam intest. se convertat. Quibus exositis diarrhoeam in febribus puerp. et criticam et symptoaticam appellandam esse apparet. Et in superiorem partem, esophagum et pharyngem morbum se convertisse medici videunt, anginamque erysipelatosam, pituitosam, putridam, biliosam ominarunt, quae affectio quamquam rarissima pro varia morbi uoque constitutione differt; et organa intestinorum proxima, epar, lien et pancreas petere jam diximus, sed ob consensum t pro morbi varia natura modo hoc modo illud affectum est, ec, ut in febri puerp. biliosa phlogoses hepar et in pituitosa ien et pancreas afficiant, non verisimile est, hisque affectionius pleuresiae lacteae, ophthalmiae s. epiphora lactea (Sauages), cerebri, medullaeque spinalis paralysis adjiciendae sunt t morbi secundarii tam in rheumaticis et pituitosis et typhois et biliosis febribus puerp., quam miliaria, purpura, variola t color cutis flavus. De phlegmatia alba s. dolente s. lactea . sparganosi plura dicere meum non est, sed eam pronuntiare, ujusque causa proxima, nomen et sedes scriptorum magnas ontroversias fecerunt et saepissime in febribus pituitosis et heumaticis puerperarum metastasi oriri videtur. Sedem primaiam esse uterum febris puerp. saepius jam diximus et uterum

vulneratum cum quoque vulnere comparari posse, quae
vulneratio quam omnis infectio topica horas xjj — jjL fe
signis caret. Haec febris, quod ad uteri infectionem att
secundaria et pro reliquarum morbis partium saepissime
rumpentibus primaria s. eruptionis appellanda et cum charac
dynamico et didynam. et adynam. conjuncta est; sed cum
in utero et aliis partibus proclivis et his locis eodem temp
omnibus morbus proruerit, febris saepissime secundaria no
netur necesse est. Mutationes autem, quas omnis febris effi
subtilius contemplantibus, in primis quoque lactis secretio
mutatae occurrunt, vel parum mutatae ut in febr. puerp. dy
micis, vel diminutae et suppressae in didynamicis, vel muta
et depravatae in adynamicis, quapropter haec pro effecti
nec pro causis ducenda. Quas anomalias non vim quoque recip
cam (reactionem in morbum ipsum) habere negamus; et ha
ob causam omnes omnium temporum medici spectarunt, ut t
lactis secretionem promoverent et servarent, quam lochia
cutis transpirationem. Denique autem reliquum est, ut de n
cosi nonnulla dicamus, quae saepissime facillimeque cum sy
ptomatibus nervosis confunditur. Est enim haec narcosis n
aliud, nisi materia morbi perturbata, quae loco veneni c
sanguine circulat, mutataque systematis sensitivi functio, qu
maxime ex cerebri, medullae spinalis et nervorum morbor
defectu topicorum, eorumque symptomatum perspicitur, et p
viri qualitate et intensitate, puerperarumque pro varia sensi
litate discrepat. Quapropter in aliis epidemiis symptoma
cerebri et cerebro-spinalis rarissime aut paulo ante mortem
temporis mutato genio et morborum varietatem scriptores c
put occupatum, deliria blanda, furibunda, mussitantia, sopore
lethargum, spasmos, epilepsiam, tetanum, hydrophobiam et
observarunt.

MORBI EXITUS.

Decursus morbi, de quo dicimus, maximam differentiam praebet, vertitur enim aut in sanitatem aut in alios morbos, aut denique in mortem.

Sanitas quidem rarissime evenit, sed si hic exitus benignus contingat, his efficitur crisibus, quarum qualitas a natura morbi et charactere, quarumque locus ex natura morbi et genio morb. epidemico dependent. Igitur de uteri crisi primum disseramus, qua fluxus lochiorum normalis, quod ad qualitatem et quantitatem attinet, aegra affectione amota, efficitur. Secretio antea suppressa et mutata denuo apparet odoremque dissipat specificum (ammoniacalem). Lac, si ejus secretio antea impedita aut suppressa erat, effunditur in mammas, accipitque qualitatem et quantitatem normalem. Pari quoque modo topicae tunicarum mucosarum crises cernuntur, quae frequentissime sub lyseos forma, quam haud raro pseudocrises sequuntur, inventae sunt. Contingunt quoque crises universales, quarum transspiratio cutis est praestantissima. Sudor enim foetidus, pro-orium et foedum odorem dissipans, quo levantur et firmantur puerperae, est copiosus et acido lactico plenior; urina antea limpida et sero vel cerevisiae corruptae similis, sedimentum furfuraceum, flocosum ac purulentum continet. Quibus signis faustis cum febris ipsa et dolores praecipue topici abdominis et capitis minuuntur, tum remissiones accuratius distingui possunt, exacerbationibus paroxysmi puerperae anguntur minus; facies collapsa dejectionemque ostendens colorem normalem nanciscitur. Inter has autem crises maximi momenti sunt lochia, sudor lactisque secretio, quae uno eodemque saepissime tempore conspiciuntur. At vero etiam biliosis et lacteis foetidisque alvi sedibus morbum discerni posse, jam affirmavimus [de quibus

medici dissiderunt]; has sedes, quippe quae facillime form pseudocriseos induant, non ita magni quam ceteras cris aestimandas esse.

Morbi, qui febrem puerp. sequi solent, varii sunt et sæpissime pro crisibus spuriis (incompletis) ducuntur, ut absce sus, qui lacteus dicitur. In cavo abdominis secretio humo lactei, qui interdum fausto cum eventu (per umbilicum) diver abdominis partibus emittitur, saepe in extremitatibus superi ribus et inferioribus, in musculorum telis interstitiisque et glandulis abscessus formantur, parotitidemque ejusque exit praecipue hujus aestate anni et in puerperis et viris fel nervosa laborantibus vidimus crisin imperfectam. Quae parte si tumescunt doloremque puerperis exhibent, antecedente i flammatione, saepe viginti et quatuor horis praeteritis, fluctua incipiunt. Partium periphericarum inprimis genitalium gangrae spontanea, quam in febribus puerp. septicis viderunt, cris imperfecta nominanda. Chronici autem morbi sunt constanti simi, ut intestinorum ulceratio, inflammatio latens chronica Namque uterum, ovaria tubasque Fallopii, intestina, urinariam vesicam, ceterasque partes abdominis coalescere posse inte se et cum partibus proximis, sectiones demonstrarunt, quo fi servata vita, ut functiones earum magis minusve turbentur aliaeque affectiones proferantur morbosae, quae cum chronica inflammatione vitam postea conficiunt. Ex his malis praesertim hydropem ovariorum ascitenque pronunciamus, phlegmatiam albam dolentem, quae plerumque secunda vel tertia puerperi hebdomade occurrit. Haec calida et dolens intumescentia (rubra vel pallida), quae a labio pudendo ortum ducit et sensim ad femur descendit, nonnumquam etiam in abdomen et pectus adscendit, morborum secundariorum certe gravissima puerperis, non solum in fuemina (ut alii putant) sed etiam in viros incidit. Inter morbos porro, qui febrem puerp. sequun-

tur, nominandae etiam sunt tabes puerper. et phthisis intest. et pulmonalis. Phthisis plerumque eo exoritur, quod saepissime perturbationes in digestionis organis remanent, ulceratio intestinorum, abscessus hepatis, pulmonum etc.; et uxores quoque aegrotis pulmonibus vexatae post puerperium, si tubercula quam celerrime in suppurationem profecta sunt, et neonato praebent mammas, in dies debiliores fiunt febrique lenta consumuntur.

Tabes dorsualis quidem a chronica inflammatione medullae spinalis aut cerebri morbo aut metastasi (rheumatica) orta tam rare occurrit quam phlegmatia alba, sed parem prognosin malam habet. Ex morbis mentis sunt melancholia maniaque nominandae, quae exsudato plerumque provocantur, quo cerebri functiones laeduntur, ita ut perturbationes sensuum deliriaque subsequantur. Quid dicam de perturbata foecunditatis proclivitate, morborum hystericorum fonte, qui morbi inprimis partium genital. internarum corruptionem sequuntur. —

Mors, quae saepius non tam deploranda, quam morbi secundarii plurimi, variis rationibus nititur et morbi vehementia et malignitate et viribus consumptis et suppressis. Sectiones autem mortuarum et morborum historiae nobis hasce mortis causas pronunciant: uteri putrescentiam et gangraenam, phlebitidem venarumque suppurationem, quae paralysin gangliorum efficiunt aut alia organa perturbant; exsudata in abdominis cavitate, thoracis et cranii, quibus organorum paralysis nituntur; exanthemata retropulsa cordisque paralysin, malaciam intestinorum membranae mucosae, ulcerationem, degenerationem, hepatisationem, emphysemata, putrescentiam et suffucationem pulmonum; haemorrhagias nimias ex sepsi humorum progressam, — vel quas jam enumeravimus rationes.

DIAGNOSIS.

Quamquam omnes morbi febriles, qui primis puerperii hebdomadibus incidunt, plerumque sunt febres puerperarum appellandae, cum uterus quoque minus magisve affectus sit, attamen haec diagnosis labat et vacillat. Qua de re haec momenta, quae sequuntur, quibusque febris puerp. nititur, nos ducere necesse est, ut morbum, qui quaeritur, ab unoquoque alio morbo discernere possimus.

1. Affectio uteri topica, de qua dolores in regione uterina, lochiorum fluxus mutatus et exploratio manualis nos certiores faciunt, organorumque sympathia morbosa, quae cum utero consentiunt, epidemia respecta, in primis ad diagnosin nos ducit. Quae autem febris puerp. species, qui morbi genius et constitutio, quae praesertim partes affectae earumque mutationes sint, in aliis momentis nobis quaerendum est.

2. Dolores eorumque sedes. Dolor, quem pro tempore variis in locis abdominis ob majorem vel minorem post partum contractionem uteri invenimus, vel est urens, terebrans, secans, vel pungens, nunc in regione umbilicali, nunc in regione (ut fit saepissime) ovariorum (dextri praecipue), ligamentorumque latorum, initio saepius lenis quidem, remittens et intermittens, et mox ad vehementiam accrescit diram et cum levissimo attactu sponte etiam tegumentis augetur. Abdomen intumescit modo meteorismo modo tympanitide et aucta temperies et aortae abdominalis pulsatio inveniuntur. Accedit animus demissus et abjectus atque gravis cephalaea, cujus est indicium ipse vultus, magna quadam affectione, angore et quasi metu in signis proprieque facies coelialgica dicta.

3. Tempus morbi ineuntis. Duobus seu tribus post partum praeterlapsis febris puerp. incipere solet, et illam quoque post

octavum, decimum quartum et vigesimum puerperii diem ortam esse, scriptores notarunt.

4. Vehementissimum febrile frigus et ante et inter et post partum, calor intensivus, sudor defatigans, nimia praecordiorum anxietas et color singularis. Frigus cum aqua frigida in dorso delabenti puerperae comparant (Krukenberg), quod calor flagrans continuus sequitur, neque cum doloribus post partum confundendum.

5. Celer febris puerperalis decursus et typho periculosissimo non dissimilis, et crises vel universales vel topicae mutatae et suppressae puerperii.

6. Ratio sudoris, exhalitus, expectorationis, urinae, et lingua et faeces et febris (typhu:) pro varia morbi specie varia, saepiusque fallunt; celeritasque pulsus et respirationis est quidem symptoma morbi nec infausti exitus.

PROGNOSIS.

Recta et absoluta, ut Vogel ait, prognosis absque omni dubio opus medici prae ceteris est egregium, quoniam accuratam cum acerrimo judicio et subtili cognitione conjunctam notionem rerum plurimarum, quas haud pauci neglexerunt medici, requirit et rationem medendi saepius magis quam diagnosis determinat. Febris autem puerp. prognosis semper dubia constituenda, etsi interdum exitus bonus, plerumque tamen lethalis est, et morbi denique secundarii haud raro subsequentes infaustam prognosin habent. Recte enim instituta prognosis et secundum signa fausta, mala et lethalia nominata his momentis inclinat, quae sunt: morbi constitutio, epidemiae acerbitas, temporis spatium inter partum et morbum, character, partus (levis vel difficilis, vel naturalis, vel instrumentalis) puerperarum constitutio, aliaque, quae infra nominabo.

Fausta sunt.

1. Si morbus quatuordecim diebus vel multo post partum exoritur, i. e. quo serior morbus, eo melior prognosis, quod sensibilitas et irritabilitas jam diminutae, uterusque contractus, simulque partes proximae praecipue peritonaeum recepit tonum, crisesque puerperii jam institutae sunt. Inter alios, qui contrarium dicunt, Wolff numerandus.

2. Si dolens abdominis inflammatio, vel dolor topicus sensim sensimque minuitur, et pulsus frequentissimus singularis quietior rariorque redditur, ceterisque signis faustis ut faciei laetae et hilari etc. convenit.

3. Lochiorum fluxus et mammarum secretio cutisque transspiratio sunt normales, vel in statum normalem redeunt.

4. Exsudationes lymphaticae et serosae desunt, et critica diarrhoea dolores et abdominis tensionem amovet, et respiratio liberior, magisque profunda est, magnaque praecordiorum anxietas evanescit.

5. Diebus criticis sudor est universalis et odorem foetidum dispergit simulque puerperam sublevat, urinaeque inest sedimentum.

6. Febris se ad erethicum characterem inclinat facitque remissiones, ac deliria et graves dolores capitis desunt.

7. Febris puerp. sponte exoritur, complicationibus caret et organa genitalia non sunt laesa, constitutio aeris benigna et puerpera omnibus vivendi rebus necessariis abundat.

Mali ominis sunt: Si febris aut ante aut statim aut non diu post partum acerbissimo cum frigore exoritur.

2. Sin puerperae constitutionem habent infirmam vel antea phthisi tuberculosa et deformationibus internis jam laboraverant.

3. Foetus et placenta sive instrumentis sive manuali exploratione soluta, genitalia et uterus laesa ruptaque et inflammatio vehemens, gangraena et putrescentia timenda.

4. Abdomen tensum dolet neque dolores sangine detracto neque medicaminibus aptis minuuntur, et diarrhoea symptomatica accedit et debilitat.

5. Pulsus saepius quam CXXX—XL micat et parvus et tensus, respiratio sublimis et difficilis et frequentior, quam pulsus postulat.

6. Facies miserior, vires debiliores et anxietas praecordiorum major fit, et deliria, lipothymiae, convulsiones adsunt vel saepius redeunt, et symptomata omnia inter se repugnant.

7. Crises suppressae non sunt restituendae, exsudatumque in aliqua parte effusum est.

8. Si colorem ruberrimum, subflavum et coeruleum genae et sudorem frigidum partes emittunt, lingua sicca, arida, fuliginosa et ore protensa tremulat, puerperaeque pudorem et matris amorem negligunt.

9. Puerperae genio epidemico maligno et in aere corrupto versantur et mendicitate premuntur.

Lethalia sunt: Abdomen perdurum et intensum, aut frigidissimum aut ferventissimum, quod doloribus vehementissimis cruciatur et repentine liberatur.

2. Pulsus frequentissimus et celerrimus et intermittens tamque debilis, ut vix sentiatur et angores tantopere augentur, ut puerperae vexatae inquietissime jactent aut ex lecto exsurgunt.

3. Facies collapsa, deformata, Hippocratica et breves et intermittentes inter sudorem ipsum horripilationes.

4. Gangraena intestinorum uterique phlebitis et putrescentia.

5. Oculorum obscurationem, quam Fritze, Schaefer et Vogel mortis praesagium habent, sanitatem secutam esse Sachtleben et Home viderunt.

THERAPIA.

De cura, quae pro varia morbi specie varia sit necesse est, medici semper sicuti de febris natura dissederunt et hi maxime audiendi sunt, qui febrem secundum causas et indolem characteremque, nec neglectis complicationibus tractarunt. Itaque tribus verbis nonnulla de cura prophylactica et therapeutica pronunciare conabimur, praesertim cum suam quaeque febris species therapiam habeat.

I. Indicatio causalis.

Prophylaxis ante partum.

Gravidae praesertim a noxiis, quae morbi praedisponentia vocantur, removendae sunt, in primis, a victus ratione vitiata abstinendae sunt, omnia enim stomacho concoctu difficilia nutrimenta vitanda eorumque copia, praesertim cum vitam sedentariam degunt, labores graviores et motiones fatigantes, alvi solutiones neglectas aut copiosas, venaesectiones nocentes vel neglectas puerperae caveant, necesse est. Mammarum quoque praeparatio, quae ad impeditam et levem lactis secretionem post partum spectat, jam tribus arte partum mensibus observanda. At saluberrimus est frequens nec debilitans motus tempestate serena et commoratio in temperata ac pura atmosphaera. Et viri commnrcio abdicandum. Graviditatis autem tempore feliciter praeterlapso, quodsi dolores ad partum praesagientes vel praeparantes incipiunt, ne praeter necessitatem vim puerperae ad partum emittendum adhibeant, sed ut natura ipsa tantum adjuvetur, videndum est. Et tam summa cautio medicaminum quam auxilii artificialis s. instrumentalis adhibenda, ne vires vel genitalia laedantur.

Puerperii prophylactica. Partu igitur ejusque secundinis sive arte sive via naturae editis, plura, quibus febris remove-

atur, maxima cum diligentia observentur necesse est. Maxime autem cibi potusque concoctu difficiles magis quam inter graviditatem timendi, quam ob rem mos ab antiquis ad nostram usque aetatem traditus est, ut puerperis juscula nutrientia admittantur, vituperandus. Die tertio adhibeatur laxans ad alvi obstructionem solvendam, nisi aliae res indicationem mutent. Victus rationi respondeat mentis regimen, et corporis et animi perturbationes amovendae, ne salutaturi quilibet admittantur, qui narrationibus animum commovere possunt, parique modo sit conclave aptum et ab luci clara et tumultu remotum. Quo metastases praecaveantur, omnia noxia removenda et adhibenda quae puerperii crises adducunt. In quibus autem saluberrimum est, si aut statim infans ad mammas admittatur, quippe cum colostrum illud et vim maximam habeat alendi, infantisque alvum cieat, aut sive recusent, sive nequeant praebere ubera, si lactis secretio efficiatur vel calidis fomentationibus vel linimento apto inuncto, vel vaporario, involutione calida et lactis antlia, quae omnia simul jam exortam lactis conglomerationem, emeticis et laxantibus adjutoribus, amovent. Ne vero cutis transpiratio lochiorumque fluxus perturbentur, sit conclavis temperies idonea, lintea maxima cum cura mundentur cauteque lochiorum causa mutentur; diaphoretica caute sint eligenda et lochia pellentia, quibus rebus maxime balnea et cataplasmata calida, clysteresque respondent. Quid dicam de prophylacticis arcanis, quae ut gravidarum levamenta omnibus puerperis non sunt commendanda, saepiusque medico haud suadente nocent. Quid de contagiorum aërisque constitutionis noxiae prophylaxi dicam. — Ex his omnibus, si febrem adesse puerperalem appareat, nobis est, cavendum, ne in contagium transeat, vel, si constitutum fuerit contagium, opera navetur, ut ejus evolutio in aliis uxoribus impediatur, quibus indicationibus eo satis facimus, ut aër saepius renovetur et vaporibus noxiis liberetur

calcaria oxymuriatica, aegrotaeque quam maxime separentur a sanis, gravidaeque locum relinquant et regiones sanas petant. Paucissimae autem fortunae muneribus tam fruuntur, quam ut his omnibus satisfacere possent, ceteraeque omnes adversae acerbitate fortunae plagantur, hisque pro viribus auxilium ferre nostrum est.

II. Indicatio morbi. Diversissimas indicationes habuerunt medici, cum alii venaesectiones, alii methodum antigastricam, alii remedia stimulantia indicata esse arbitrentur, quod epidemiae, rerum endemicarum natura et indoles febris puerp. discreparunt. Quapropter medicus in febris puerp. cura primum diligenter morbi naturam consideret necesse est, eamque minuat vet tollat medicaminibus alterantibus etc.; deinde medicamina, quae contagia corpori innoxia reddunt et organismi reactionem prohibent, commendet, tum affectionem partis laborantis observet et curare studeat, denique haud febris caracterem negligat. Neque sunt audiendi, qui uteri affectionem neglexerunt, neque omnibus puerperis injectiones calidas neque pulveres ex Myrrh, Castor. Sabina et Ruta grav. paratos haud commendaverint; sed pro febris morbique topici vario charactere varia medicamina praescribenda, quorum nonnulla citamus saepius usitata. Natr. boraxat. Sabina, Castor., Cubeb, Secale cornut., Jodium, kali hydrojodic. in variis febris puerp. speciebus adhibita sunt; quibus a G. A. Richter laudatam chinam adnumeramus, quae lac jam remotum reducat, de qua crisi jam ostendimus, esse servandam. De crisibus et diaetae ratione fusius jam in aetiologia et nosologia locuti sumus et puerperae reconvalescentes semper a diaetae vitiis ceterisque noxiis sunt removendae.

NOTAE ANATOMICO-PATHOLOGICAE.

Quamquam pluribus in locis sectionum cadaverum jam memoravimus easque morbi diagnosin saepius non comprobare demonstravimus, tamen non negandum est, illam accuratius institutam non pauca proferre, quae nobis bene eruant morbi naturam et signa manifestent. Quae in tribus corporis cavi medici memoratu dignissima invenerunt, tribus verbis exponere periclitemur.

a. Abdominis cavum: Nonnumquam tam rigent cadavera puerperarum, quam in aliis fieri solet, mollia et agilia potius manent celeriterque putrescentia advenit. Exsudata lymphatica, vel serosa vel purulenta interdum sex vel duodecim librarum pondere, praecipue si morbi sedes in abdomine fuerat, invenimus. Supra jam de lactis natura exsadatorum locuti sumus fusius. — Saepius peritonaeum ab omni parte quidem rubrum, praecipue tamen in inferioribus partibus ejusque rubor maculis pictus et ad colorem purpureum vergens, sed vasculosum rite non efficitur sicut in inflammatoria turgescentia, qua in re peritonitidis est ratio inversa ad exsudatum. Intestina aere saepius inflata et singulis locis phlogosi affecta, livida, gangraenosa, ulcerata et subflavo glutine seu membrana exsudata, quae omnes partes conglutinat, inventa sunt. Pallidiorem colorem et molliorem consistentiam saepius praebet hepar et vesica fellea bili extensa, cum hepar quoque affectum fuerit. Uterus, modo singulis partibus inflammatus, modo magis minusve omnibus phlogosis signis caret, nonnumquam mollis, relaxatus, marcidus, extensus, superficies peritonialis decolòrata, interior glutine foetido ac fusco obducta, ut glutine remoto, parenchyma saepe solutum, gangraenosum, putrescens, placentaeque uterinae partes adhaerentes, collum labiaque uteri minus

magisve laesa corruptaque inveniuntur. Nullum autem signum apertum in superficie externa et interna, neque in uteri parenchymate, neque vasis, praecipue venis et vasis lymphaticis materiam purulentam in omnibus puerperis invenire possumus. Laesa sunt saepius ovaria, tubaeque Fallopii et ligamenta; labia genitalium externa remissa et ut vagina extensa et decolorata.

b. Cavum pectoris. Rarius quidem pectus morbus petit sed signa inflammationis exsudatae inventa et abscessus pectoris inter musculos externos, et inter costas et pleuram costalem, in mediastino, in pulmonibus (vomicae temporum jam remotorum), in adhaesionibus inter pulmones et pleuras, hydropis pectoris purulenta et pericardii et cor villosum materiaque caseosa indutum occurrunt, vasaque magna affecta et venae et arteriae et lymphaticae.

c. Cavum cranii.

Multorum licet affectis capitis signorum nonnulla saepius adsint, puerperaeque mox diem supremum obeant, tamen accidit, ut cerebri tunicae modo sanguine multo repletae et nonnullis locis inflammatae modo integrae, cerebrum mollius et massa gelantinosa involutum, exsudationes serosae in basi cranii et ventriculis et canali spinali occurrant. Quin depositiones osseas Vindsbonae Wagner et Martin invenerunt, quae in superficie interna ossis frontis et bregmatis arterias durae matris circumdederunt et ab lamina vitrea separata sunt, quorumque porositas vasorumque divitias novissime ortas esse demonstrarunt. Has concretiones febri puerperali proprias et characteristicas esse et omnibus febri puerper. mortuis invenisse Wagner contendit, quamquam eas in nonnullis se non vidisse Martin scripsit. —

His expositis nunc brevibus verbis febris puerperalis historiam, quam vidimus, exponere licet; pluraque enim adhuc dicere instituti nostri ratio non permittit.

OBSERVATIO.

A. Degener a. XXVII nata, foemina satis robusta et plethorica, antea numquam morbo gravioris momenti affecta, tempore solemni primum et rite et largiter semper menstruata, epistaxi interdum correpta, initio mensis Junii a. curr. graviditate feliciter et bona valetudine praeterlapsa, puellam vivam leviter edidit in instituto Nosoc. caritatis puerperis dicato. Hanc puerperam secundo die post partum in clinico medico, quod sub auspiciis Ill. Wolff floret, aegrotam, venaesectione libr. jβ instituta et hirudinibus duodecim applicatis, accepimus. — Status praesens: Signa febrilia.

Febri vehementiori puerperae correptae pulsus salutatione matutina in parte horae sexagesima fecit ictus centum et viginti quatuor, et celer, plenus, magnus fortisque fuit; respiratio cum praecordiorum anxietate conjuncta quamquam normali difficilior et frequentior, sed aequalis; facies colore subflavo tincta, urina rubida (febrilis), transpiratio cutis non suppressa et moderata, sed temperies aucta magisque calida; alvus non soluta sitisque aucta. — Topica: Abdominis inflati in ovarii dextri regione dolores adfuerunt, qui omni motu, corporis versione digitorumque attactu augebantur; uterus nondum contractus medium inter umbilicum et symphysin ossium pubis magis magisque ad sinistrum latus vergens locum tenebat, magisque doloribus levissimo attactu cruciatus quam ovarium; lochiorum fluxus praebuit massas sanguineas et serosas et pro tempore copiosas;

quod ad ubera pertinet, plane affectionibus morbosis caruerunt. — Gastrico nervosa:

Lingua albido ac flavo muco quidem obtecta sed humida, alvus, ut supra diximus, obstructa, quod saepissime hoc tempore fit, nausea et vomitus ipse massae aeruginosae non adfuerunt.

Caput, praesertim pars frontalis, doluit et quaestiones quidem auribus difficilius percepit puerpera, sed in graviditate eo non laboraverat, somnusque ob dolores sacrales et dorsales et abdominales et inquietudinem puerperam fugit.

Diagnosis. Cum enim morbus frigore continuo et subsequenti calore cutisque transpiratione et vasorum irritabilitate extensive et intensive aucta, dedolationeque incepisset, statuque praesenti praebuerit supra jam nominata signa febrilia, hic ad febres numerandus et secundum typum continuum continentem, ad febr. continuas continentes, secundum characterem ob vires auctas habitum, causas occasionales, morbi breve spatium et vasorum irritationem et aetatem puerperae ad inflammatorias, et ob complicationem et affectionem topicam, quae simul cum febre apparuerant vel ad veras s. (genuinas) vel secundarias. Quibus ex rebus febris puerperalis inflammatoria genuina cum phlogosi uteri et quidem membranae peritonalis conjuncta, s. febris puerp. synochalis, metrophlogosis puerperae didynamica, peritonitis uterina puerperae, metritis externa puerperae appellanda.

Prognosis dubia ob morbi nomen, ut supra fusius diximus, quamquam fausta signa nonnulla adfuerunt.

Cura. De methodo antiphlogistica, maxime de venaesectionibus tum instituendis, in febris indolem inflamm. observaveris optime P. Frank, quae ob febris characteum primarium instituta est. Repetita venaesectione, Unciae Xjj sanguinis detractae sunt e brachio, neque antiphlogosis topica neglecta,

quae quidem hirudinibus abdomini repetito impositis non effecta est, sed clysmate et calidis cataplasmatibus ad abdomen impositis, quae cum dolores graviores non adessent in abdomini, simul et fluxum lochiorum et cutis crisin promovent, optimeque, quominus refrigerio, ut in hirudinibus applicandis vel ad vaginam et uterum injectionibus et fomentationibus calidis fieri solet, cutis transpiratio amoveatur, prohibent. Remedium usui interno maxime commodum decoctum altheae ℥vj cum kali nitrici ʒjj et tartar. stibiat grj, quod et phlogisticam sanguinis vim ejusque acceleratam circulationem et calorem febrilem minuit et transpirationem cutis promovet alvumque solvit, et potionem sanguinem solventem et diluentem ex acidis vegetab. paratam accepit.

Horis pomeridianis exccerbatio symptomatum (pulsus ad ictus CXXXV) secuta est, quae, media nocte ad majorem gradum evecta, venaesectionem ℥X desideravit.

Altero die hor. jX matutina, remissionem invenimus, pulsum magnum, plenum et mollem et centies et quinquies in parte hor. sexagesima micantem, dolores paululum diminutos et uterum magis contractum pelvique propriorem et transpirationem magis quam die antecedente auctam. Quo factum est, ut febrim continuam remittentem appellaremus, aegrotaque medicamenta eadem et balneum calidum, quod jam die a. acceperat, manerent. Cephalalgia auditusque difficultas eadem, loch. fluxus lactisque secretiones normales.

Tempore vespertino quidem invenimus, ut pridie vesperi acerbationem pulsumque frequentiorem sed mitiorem.

Die tertio puerpera tam meliori conditione versari visa est, ut loco kali nitrici et tart. stib. acciperet acid. phosphor. ʒjj. et potionem aquam cum saccharo, quod aëris aucta temperies aegrotae saluti fuit. Balneum autem calidum et cataplasmata non neglecta.

Quarto die aegrotae conditio melior et ob alvi solutiones tres, etiam acid. phosphoric. amotum est.

Quinto die quidem signa febrilia et lochia nondum aucta sed puerpera inquietior, jussuque tam minus obediens fuit, ut alligaretur.

Sexto die aegrota inquietior, tendinum subsultibus, majore cephalalgia et majore auditus graviditate laboravit, somnusque eam fugerat ob deliria nocturna. Pulsus antea frequentior, mollior et debilior, in abdomine nulla mutatio, nullusque dolor, uterusque fere contractus. His rebus percensitis aegrotae in cervice empl. vesic. impositum est. Lactis secretio et lochiorum fluxus quidem normales, sed calor cutis auctus neque ad transpirationem aptus, quae ne balneo quidem jv et v die adhibito aucta est.

Septimo die puerpera hora sexta matutina mortua, mortique causae animi perturbationes refrigeriumque accusandae. Hor. XXX post mortem sectio cadaveris instituta nullam phlogosis mutationem demonstravit, uteri enim nondum ad pristinam magnitudinem contracti et canalis vaginalis extensi tunica mucosa neque dissoluta neque ulcerata, sed lochiorum secreto obtecta fuit, exsudationesque neque in cavo abdominis neque thoracis repertae sunt, et materia aquosa ventriculorum cerebri paululum aucta. Ovaria, tubae, peritonaeum et ligamenta morbi vestigiis caruerunt, uterique solummodo fundi vasa sanguifera et quidem extensa pauluque materia purulenta impleta, sed digitorum compressione materiae copia non aucta est.

Addamus licet, tempore quo puerperae transpiratio suppressa erat, etiam alteram puerperam proxime sitam statu pejori versatam esse, quam vero metastasis ad parotides et suppuratio ad sanitatem reduxerant.

VITA.

Christianus Fridericus Strube, fideì evangelicae addictus, natus sum a. MDCCCXII quarto die ante Idus novembr. Croppenstedtii, Saxoniae provinciae oppido nundinario in Halberstadii vicinia sito, patre optimo Christiano Friderico Strube, matre carissima Justina Juliana, e gente Ernesti Hempel, quos jam dudum mortuos valde lugeo. Prima puerili aetate urbis patriae scholas frequentavi et A. MDCCCXXV Gymnasium, quod Halberstadii, Directore Ill. Maass, floret, petii. Anno MDCCCXXXIII, postquam classis primae scholis tres annos interfui, testimonio scholastico instructus Parthenopolin me contuli et ab Ill. Rectore A. Andreae discipulis scholae medico-chirurgicae adscriptus, per duos annos hisce interfui lectionibus: beat. Brüggemann de corporis humani anatomia universa cum theoretica tum practica, de

anatomia pathologica et physiologia universa; hon. Michaelis de chemia et physices elementis; Cel. Andreae de pathologia et therapia tam universali, quam speciali; hon. Fritze de materia medica et arte formulas rite concinnandi; hon. Dollhof de chirurgia universali et speciali; Prof. Scheibler de aciurgia, de fracturis et luxationibus, de arte fascias rite applicandi et de exercitationibus aciurgicis in cadaveribus institutis. A. MDCCCXXXV Berolinum adii, ibique ab Ill. Rust inter studiosos medicinae et chirurgiae receptus, hisce medicinae studiis operam navavi. Docuerunt me Ill. Wolff medicinam practicam, Ill. Rust chirurgiam clinicam, Ill. Juengken clinicen ophthalmiatricam, Ill. Wagner medicinam forensem et politiam medicam et forensem, Ill. Busch artem obstetriciam tam theoreticam, quam practicam. Denique Anno MDCCCXXXVII a Rectore magnifico Heffter civitate academica donatus, et a Decano spectabili Ill. Wagner in album facultatis medicae relatus, has scholas frequentavi: Ill. Schultz de botanice medica et plantarum physiologia, observationibus microscopicis et demonstrationibus explicata et historia naturali medica; Ill. J. Mueller de physiologia generationis, phys. hominis speciali junctis experim. et demonstrationibus in animalibus institutis, de anatomia universa corporis humani sani et comparata, et pathologica, et organorum sensuum; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia; Ill. Link de vegetabilium medica virtute in genere eorumque venenis; Ill. Mitscherlich de chemia experimentali; Cel. Eck de therapia universali; Ill. Romberg de doctrina de nervorum morbis

et diagnosi cum demonstrationibus in aegrotis institutis; Ill. ab **Hennig** de logice et metaphysice; Ill. **Schlemm** de syndesmologia, Ill. **Horn** de morbis syphiliticis et path. et therap. mentis tam generali quam speciali morborum; Ill. **Juengken** de oculorum morbis et Ill. **Wagner** de selectis capitalis med. orensis. Viris illustr. **Rust**, **Wolff**, **Wagner**, **Busch**, **Barez**, **Dieffenbach**, **Truestedt** in exercitationibus clinicis, medicis, et chirurgicis et obstetriciis ducibus auctoribusque gratiosissimis usus sum. Neque possum quin omnibus his clarissimis praeceptoribus ex toto animo gratias quam maximas agem.

THESES.

1. Phthiseos pulmonum nullum certe signum.
2. Diagnosis infantis sexus, mortis et graviditatis multiplicis ante partum incertissima.
3. Prognosin magis quam diagnosin morbi curam constituere debet.
4. Incisiones majores in hydrope sunt metuendae quidem, non rejiciendae.